Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nouem sunt ordines angelorum.
Nam cum per sacra eloquia ange-
li, archangeli, throni, dominatio-
nes, uirtutes, principatus, po-
testates, cherubyn atque sera-
phym aperta narratione memo-
rantur, supernorum ciuium quante
sint distinctiones ostenditur.
Quibus tamen uehemoth iste
optius fuisse describitur quia
eos quasi uestem ad ornamen-
tum suum habuit quorum dum
claritatem transcenderet ex eorum
comparatione clarior fuit. Vnde
cui illic adhuc descriptione
subiungitur: Aurum opus deco-
ris tui et foramina tua in
die qua conditus es preparata sunt.
Aurum opus decoris eius exti-
tit quia sapientie claritate can-
duit quam bene creatus accepit.
Foramina uero in lapidibus
ideo fiunt ut uinculati au-
ro in ornamenti compositione iun-
gantur et nequaquam a se dissi-
dant. Quos infusum aurum re-
pletis foraminibus ligat.
Huius ergo lapidis in die conditio-
nis sue foramina preparata
sunt quia uidelicet capax ca-
ritatis est conditus. Qua si reple-
ri uoluisset stantibus angelis
tamquam positis in regis or-
namento lapidibus potuisset in-
herere. Si enim caritatis auro
sese penetrabilem maneret.
Habet ergo lapis iste forami-
na sed per superbie uitium cari-
tatis auro non sunt repleta.
Nam que ideo ligantur
auro ne cadant ideo iste

cecidit quia etiam perforatus
manu artificis amoris uin-
culis ligari contempsit. Isti
autem ceteri lapides qui huic
similiter fuerant perforati pene-
trante se mutue caritate
ligati sunt atque hoc in mu-
nere isto cadente meruerunt
ut nequaquam iam de orna-
mento regio cadendo soluantur.
Huius principatus celsitudinem
adhuc isdem propheta intu-
ens adiunxit: Tu cherub
extentus et protegens in mon-
te sancto dei, in medio lapi-
dum ignitorum perfectus ambu-
lasti. Cherubyn quippe ple-
nitudo scientie dicitur. Et idcirco
iste cherubym dicitur quia
transcendisse cunctos scientia
non dubitatur. Qui in medio
lapidum ignitorum perfectus am-
bulauit quia inter angelorum
corda caritatis igne succen-
sa clarus conditionis gloria ex-
titit. Quem bene extentum
ac protegentem dicit. Omne
enim quod extenti protegimus
obumbramus. Et quia in com-
paratione claritatis sue ob-
umbrasse ceterorum claritatem
creditur ipse extentus et prote-
gens fuisse perhibetur. Reli-
quos enim quasi obumbran-
do operuit quia eorum magni-
tudinem excellentia maio-
re transcendit. Quod ergo illic
speciosus in multis fron-
dibus, quod illic signaculum si-
militudinis, quod illic che-
rubim, quod illic protegens.